



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XIV. Ex Insinuatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Cùm sæculum.

PARAPHRASIS.

Scribit Alexander III. Hospitalarijs, & interdicit, si ratione emptorum, vel aliter acquiritorum feudorum Jus Patronatûs in Ecclesijs parochialibus acquirant, ne ideo jus parochiale Episcopi minuere præsumant.

SUMMARIUM.

1. *Qui fundum feudalem titulo civili acquirat, etiam Jus Patronatûs fundo illi annexum per accidens acquirat.*
2. *Patronus contentus esse debet juribus à SS. Canonibus sibi concessis.*

Notandum primum. Si quis fundum feudalem emptione, vel alio titulo acquirat etiam, annexum fundo Jus Patronatûs per accidens, & concomitanter acquirat. Ita hic & in *c. ex litteris 15. hoc tit.* & docuit *l. 4. ff. de c. 13. n. 20.*

2 Notandum secundum. Patronus juribus, sibi à sacris Canonibus ex gratia concessis, videlicet Clericum præsentandi, Ecclesiam defendendi &c. contentus esse debet, & alia jura parochialia vel Episcopalia non imminuere, aut se immiscere: quod etiam locum habet, si Patronus Clericus sit, *c. consuluit 15. hoc tit.* Vide *Gloss. super hoc c.*

CAPITULUM XIV.

Ex Insinuatione.

PARAPHRASIS.

O. Clericus questus est Alexandro III. tametsi Jus Patronatûs in quibusdam Ecclesijs ad ipsum pertineret, quia à fratre suo liberaliter collatum fuerat, nihilominus aliquos eas Ecclesias ausos fuisse occupare, & detinere; idem mandat Papa, ut detentores isti cogantur Ecclesias Clerico illi restituere, quod liberè & pacificè ordinare possit.

Utrum ex hoc Capitulo probetur, quod quis propriâ auctoritate possit suo patrono Jus Patronatûs remittere?

EX hoc c. multi colligunt apud Abbates hic, quod Patronus Compatrono suam etiam privato, absque Episcopi consensu Jus Patronatûs remittere, seu donare possit, quæ doctrina licet secundum se vera videatur, uti docuit in *c. querimoniam 9. hoc tit.* propterea quod hæc non sit proprie alienatio, seu Juris Patronatûs translatio, cum novus Patronus Ecclesiæ non constituitur, sed Compatronus auferatur. Attamen ex hoc textu non satis ostenditur, quia, ut *Hofst. And. & alij* hic notantur, foris *O. C.* cuius fuit Rector alicujus Ecclesiæ, cuius nomine ipsi Jus Patronatûs à fratre suo, quod in quibusdam Ecclesijs habebat, donatum erat. Id colligi videtur ex eo, quod librum dicitur, dicto Clerico Ecclesiæ ordinandi liberam potestatem competere, quod dicitur non potest de Patrono ratione Patronatûs, nisi constat ex *c. precedente, & c. ult. hoc tit.* sed de aliquo Ecclesiæ Rectore, licet Episcopus non sit, ordinationem tamen, sine Institutionem ministrorum ex jure speciali, v. g. præscriptionis habente. Accedit, quod hic non negatur, consensum Episcopi intervenisse. Quare cum casus hujus c. non sitis expressus, nihil ex eo certi inferri, ut annotari potest.

CAPITULUM XV.

Perlatum,

PARAPHRASIS.

Cùm Sanctuarii Dei jure hæreditario tenentur non possit, sustinendum non est, si Clerici Ecclesias à parentibus suis fundatas proptia auctoritate retineant, vel à Patrono Laici eas filijs, aut Laicis aliquibus concedant.

SUMMARIUM.

1. *In Ecclesiasticis beneficijs Jus hæreditarium locum non habet.*